













VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Consul-  
tissimis, Prudentissimis, Excellentissimis ac Expe-  
rientissimis.*

DN. JOHANNI HEIGIO auf Heinersdorf und  
Tischbrück / Jcto eminentissimo, Sereniss. Electoris Saxonici in Ju-  
dicio Appellationum Consiliario spectatissimo, Mæcenati ac Susce-  
ptori è sacro *παλιγγενεσίας* fonte singulari observantia  
& amoris cultu in ævum suspiciendo.

DN. CHRISTIANO von Hartig in Althörnitz /  
U. M. D. Equiti D. MARCI perquam strenuo, Consuli Reipublicæ  
Zittaviensis Patriæ gravissimo, Agnato & Promotori  
devoto observantiæ cultu perpetim  
prosequendo.

DN. JOHANNI NESENO Hæreditario in Poritzsch /  
Consuli Seniori, & Scholarchæ in incluta Zittaviâ dignissimo, me-  
ritissimo. Adfini, Fautori ac Patrono suo æviternâ de-  
venerationis observantiâ colendissimo.

DN. JOHANNI KISLINGIO, Med. D. Patriæq;  
apud Zittavienses Practico famigeratissimo, Parenti suo filialiter  
auscultando, deamando.

*Hæscæ ingenij frugum primitias in summa observantia  
tesseram, suæq; commendationem devotè  
consecrat*

Autor & Respondens,





## IN NOMINE JESU.

### PRÆLUSORIA.

**V**etustissimi Philosophorum prodromi, Poëtae, ingeniosè fingunt, sapientiæ præsidem Minervam ex cerebro Jovis progeneram, Musasq; ejusdem & Mnemosynes esse filias; quo ipso sapienter sanè innuunt, Philosophiam esse donum mortalibus divinitus concessum. Quæ enim ejus sit præstantia, quæ dignitas, quæq; utilitas, vel Tiresiâ cæciori apparet. Vnde eam phaleratis & *μυριαυφάνους* verbis ambitiosè ut jam laudemus, supervacaneum esse duximus, cum nemo, nisi *ἀπώστια ἴης διαβολας* laboret miserimè, Reginam hanc è celsissimo Eminentiaæ folio unquam deturbare præsumat. Est enim Philosophia, ut reliqua taceam, medicina animæ saluberrima, quæ cæcæ mentis caliginem discutit, exorbitantesq; voluntatis motus refrænât, ut egregiè philosophatur alicubi Philosophus. Imò quæ adeò clarificat hominem, ut ipsum primo, divino & immortali Enti quodammodo assimilari allaboret. Cum autem ejus nulla sive sapientia sive prudentia jucundior videatur Naturali, ut & sapiens Seneca, quoties per occulta naturæ ibat, divina se tractare gloriaretur; Ideò nunquam dubitavi, primitias meorum studiorum huic præstabili scientiæ devotâ manu oppignorare. Placuit verò impræsentiarum in publicæ συζητήσεως materiam nonnulla de HUMORIBUS proponere, ut quo magis patet divinæ hujus scientiæ natura, eo ardentiori in eam feramur amore. Tu verò, Lector benivolè,



vole, immutes, quæso, *humorem*, quem Medici in oculo esse  
ajunt, qui omnia majora, quàm sunt, dicitur representare.  
Sit igitur auspicante Sacro-Sanctâ Triade feliciter

THESIS I.

De *humoribus* disserturi, ante omnia,  
definitum spectabimus, (a) & ab æquivoca-  
tione liberabimus (b)

(a) Licet potior sit rerum, prior tamen verborum habenda ratio; Cum verba sint rerum signa, quibus ignoratis, ignorantur signata. *Vid. Arist. 1. de Interpr. & 1. de Repreh Soph. c. 1.* Unde merito à nominis consideratione exordimur.

(b) Cum *πολλαχῶς λεγόμενα* Sophisticæ conferant, *Arist. 3. Rhe. 2.* etiam homonymia ante omnia venit explicanda: *Vid. Arist. præprimis 1. Top. 15.* ubi docet, qui possint accuratè distingui æquivoca. Sumitur autem vox humoris, vel (1.) *generaliter*, pro omni corpore liquido & perfluente; quo significatu omnes succi & liquores dici poterunt humores. (2.) *Specialiter* pro eo, quod in corpore animali existit fluidum. Et hæc significatio hujus loci videtur propria.

II. Definitio humoris [a] sit hæc: Humor est corpus fluidum [b] in corpore humano secundum naturam [c] existens.

(a) Spectatâ voce, ad ipsam rei considerationem transitum paramus, quæ primò *τῆς ἰστίας γνωρισμὸν* exhibet, sive ipsam rei essentiam seu naturam notificat, *2. Post. 3. & 1. Top. 4.* Unde & nos impræsentiarum eam haud immeritò adjecimus.

(b) Formalis enim ratio humorum in fluxibilitate consistit. Et hæc formalitas ab insita quibusvis partibus corporis animati naturâ dependet.

(c) Quo ipso ab hac tractatione excludimus humores *præternaturales*, quos, cum (1.) à naturæ statu recedant, & depravationes potius sint humorum, quàm humores propriè & verè dicti,



dicti, & prætereà (2.) nullum corpori humano præbeant u-  
sum, sed id potiùs lædant, humoribus non annumeramus.

III. Definitioni ex lege ordinis doctri-  
næ (a) subjicimus divisionem. [b] Inter hu-  
mores autem humani corporis quidam est  
primigenius, alii sunt postgeniti. [c]

(a) Haud inconsideratè diximus: *Ex lege ordinis doctrinæ*;  
quia divisiones naturam *ordinis* magis, quàm *methodi* speciatim  
sic dictæ videntur sapere. Non enim in demonstrando, nec ef-  
ficiendo cognitionem, sed disponendo cognitionemq; juvando  
maximè sunt occupatæ. *Arist. 1. post. Anal. 5. Zabar. l. 3. de Met.*  
*c. 10.* Jungatur *Neld. de ord. doct. in discipl. p. 183.* Ubi similitudines  
& differentias *ordinis* & *Methodi* a primè eleganter explicat.

(b) Ideò potissimum subsequitur definitionem divisio, quia  
ritè disponit cujusq; thematis partes, facitq; ne quid prætermitta-  
tur in rerum tractationibus, aut ἀτάκτως proponatur. Unde  
etiam in summo honoris vigore apud Peripateticos semper fuit  
habita.

(c) Dicitur autem humor *primigenius* aliàs *insitus*, quia ex  
ipso ortu statim nobis innascitur vel connascitur; Humo-  
res verò *postgeniti*, aliàs *acquisiti*, quia postea in corpore humano  
generantur.

IV. Humor primigenius est humidum  
radicale (a) quod describimus, quòd sit hu-  
mor aereus & pinguis, (b) ex primis genera-  
tionis principiis genitus, (c) calidiq; innati  
proprius fomes. (d)

(a) Aliàs ἀρχήγονον, ἔκτοκον, σύμφυτον, nativum, im-  
plantatum, balsamum naturale, perpetuum animæ instrumen-  
tum. *Gal- 14. de Usu part.*

(b) Hoc quantò est uberiùs aëreum, & pingve magis, tan-  
tò magis durat, & hinc diutius vivit animal. Cum enim calor



quasi conservator & gubernator vitæ nostræ esse debeat, in humido stabili & multo tempore durante consistat necesse est. *Dn. Sennert. p. m. l. i. Inst. Med. c. 5. m. p. 36.* Et sic intelligimus πολυτρόλλον illud veterum; Vitam in calido & humido consistere. Vid. *Fuchs. Inst. Med. l. i. c. 6. p. 241.*

(c) Scilicet ex Semine & Sanguine materno. Hæc enim duo sunt, ex quibus vitæ sumimus primordia

(d) Cum enim calor in perpetuâ sit actione, necessum ipsi fuit subjectum, in quod agat, & quo quasi pascatur atq; conservetur. Subjectum est humor insitus, sive humidum radicale. Hinc humor iste quamdiu in corpore consistit, tamdiu etiam homo vivit, quando verò a calore totus est absumtus, homini moriendum est. Ne autem humidum illud penitus absumatur, (calore enim semper aliquid depascitur) opus est deperditi subinde restauratione, quâ individuum ab interitu aliquandiu vindicetur. Quamvis autem humidum hoc dicto modo per alimentum ad tempus conservari possit, attamen non est tantæ nobilitatis id, quod ei accedit, ut totum absumtū perfectè restituere queat. Etenim hoc, ex quo est restauratio, humido primigeniō est longè imperfectius, cum ob conditionem materiei appositæ deteriore, tum ob vim nativi caloris debiliorem. Unde fieri non potest, quin tandem, humido deficiente, animal non expiret ac intereat. Dissipatâ enim materiâ, ut bene loquitur *Fern. 4. Phys. 4. m. p. 150.* quæ Spiritus & caloris propria est sedes, quæ Spiritum continet atque servat, quâ fieri potest, ut Spiritus substantia & calor diutiùs persistat?

V. Humores acquisiti sunt corpora fluida, ex alimento (a) vi naturæ (b) mediante calore & Spirituum influxu producta, in gratiam individui custodiendi (c) vel speciei propagandæ. (d.)

(a) Materia humorum sunt alimenta, pro desiderio famisitise explendo, intra corpus assumpta & concocta. In specie verò humorum materiam partim alimenta solida, partim fluida statuimus.

(b)



(b) Efficiens humorum causa vel est primaria, ut anima aut  
*idia τῶν μορίων ἁπλῆ* vel organica, calor nimirum tam natus,  
quam influens, cui utrique accurrunt Spiritus, facultatem lan-  
guidam exfuscitantes.

(c) Producuntur enim humores bono fine, ad salutem a-  
nimantium; excipiendo, quod per accidens in corporis noxam  
verti possint.

(d) Cujusmodi humor semen est & sanguis maternus.

VI. Vna humorum substantia non datur,  
sed multiformis, (a) unde humor adventiti-  
us in alimentarium, & superfluum sive ex-  
crementitium dividitur. (b)

(a) Disparem alimentorum substantiam, humorum  
quoque sequitur diversitas, quam sensibus deprehendere haud  
est difficile. Estque in vulgus nota Medicorum observatio, in  
Phlebotomia sanguinis massam in quatuor partes distinctam  
monstrantium; aliam tenuem subrubram, per summa inna-  
tantem; aliam crassiorem subnigram terrestrem, in imo; aliam  
floridam, in medio consistentem, cui crudior & magis albicans  
interfusa est.

(b.) Alimentarios h. l. nominamus eos, qui ex alimentis  
percoctis ad nutritionem totius corporis perficiuntur. Note-  
tur, non tam dici eos alimentarios ob id, quod ex alimentis ge-  
nerati sint, quam quod nutrimentum corpori conservando præ-  
stare possint. Superfluos & excrementitios eos indigitamus, qui  
ex nutrimento relictis, ad corpus alendum planè sunt inepti. Un-  
de etiam à sanguinis massâ sejunguntur.

VII. In istorum humorum classem re-  
ponendi sunt tam primarii (a) quam secun-  
darii. (b).

(a) Primarij sunt, qui ex alimentis in epate enococtis  
conficiuntur, unde pro materiâ habent chylum, seu humorem  
lacteum, vi ventriculi ex cibo potuque præparatum. Ubi no-

taur



tandum, quod dictum (1.) *ex alimentis humores confici, & pro materiâ habere chylum*; alimenta enim quæ assumuntur, sunt materia remotior, chylus verò proximior. (2.) *humores confici in epate*. Non enim probamus eorum sententiam, qui humores hos in ventriculo gigni statuunt. (3.) humores illos simul gigni, non successivè & seorsim. Tametsi autem calor epatis sit æqualis, & ad contrarios effectus alienior, ob materiæ tamen Elementaris heterogeneam concretionem varios producit humores. Ex aëreis enim partibus sanguinem, ex igneis bilem, ex aqueis pituitam, è terrestribus melancholicum succum gignit, non aliter, quam solis idem calor lutum indurat, ceram liquefacit, cutem denigrat, & linteum dealbat, ob differentem subjectorum conditionem. *Conf. Fern. l. d. c. 4. m. p. 127.*

VIII. Humor alimentarius primarius iterum est quadruplex, (a) sanguis, pituita, bilis, & humor Melancholicus.

(a) Hi enim quatuor humores in massâ sanguinea sunt, (quamvis non eadem semper proportione) & per venas in totum corpus vehuntur; de quibus jam speciatim agemus.

IX. Sanguis (a) est humor alimentarius (b.) calidus & humidus (c) ex temperatioribus chyli partibus (d) per calorē [e] in hepate [i] productus, ad partium totius corporis, præcipuè autem carnosarum, alituram. (g.)

(a) Prænotandum, vocabulum hoc, cum sit *πολύσημον*, sumi (1.) *Latè* pro totâ massâ sanguineâ, prout ex quatuor humoribus constat, inque venis indiscretim continetur; (2.) *strictè* pro parte ab aliis hujus massæ portionibus discreta, quam & hic intellectam volumus.

(b) Genus hoc est, in quo sanguis cum reliquis tribus humoribus convenit.

(c)



(c) Differentia his continetur; sunt enim hæ propriæ qualitates sanguinis, quæ junctim ei insunt, & à cæteris humoribus primò distinguunt. Calidus autè & humidus est, si originè spectes, quod ex temperatioribus chyli partibus ab humido calore elaboratur; si officium, ut partium temperiem conservet, & spiritibus animalibus fomentum præstet. Vel, si divinum illum senem, Hippocratem, sequamur, qui sanguinem dicit calidum & humidum, quia conservat vitam animalis, quæ in humido tanquam materiali, & calido, tanquam formali, consistit.

(d.) Quæ & ipsæ tamen diversimodè se habent, ut sic sanguis unus omnium partium diversissimarum in toto corpore conveniens nutrimentum possit evadere. *Gal. 1. de fac. nat. 7.* Cum enim sit alimentum, & ad singulas nostri corporis partes amandetur, ita ut nullæ sint, quin eum accipiant, maximè videtur credibile, quod eodem quoque omnes alantur. Nec nobis obstabit partium corporis inter sese distantia; hoc enim inde, quia licèt sanguis sit unus, scilicet actu, multiplex tamen est potentia, quatenus ex eò diversâ concoctione diversæ queunt produci partes. Et hæc potentialis continentia fundatur in elementis diversis, quatenus nimirum pro ipsorum variâ mixtionis habitudine diversa fieri queunt, ut ostendit clariss. *Kyperus in Tract. Noviss. Univer. Medic. contrac. l. 1. c. 13. §. 45. & seq.*

(e.) Animam, siquidem ea est natura nutritionem perficiens, rectè causam chylicationis statuimus principalem: Illa ipsa tamen calore, ut instrumento utitur. Sicut enim in aliis actionibus, ita quoque in vitalibus, caloris magnum esse momentum, omnes agnoscunt, ut propterea eum communem *δημιουργόν*, communem opificem, commune naturæ instrumentum *Dd.* passim dixerint.

(f.) Non levis hinc est controversia, quænam pars vera *αιματοσεως* officina sit constituenda? Nos neque *Cor*, quod sensisse videtur *Arist. 2. & 3. de part. anim.* neque *venas*, quod statuisse creditur *Vesal. l. 3. de corp. hum. fabri. c. 1. & 5.* sed ipsum hepatis *παρέρχυμα*, vim hanc *αιματοποιητικήν* à naturâ obtinere primariò, cum doctissimo Anatomicorum, quem potissima

B

pars



pars Doctorum sequitur, *Andr. Laur. l. 2. Anato. c. 17. q. 32. statuimus.*

(g.) Finis hujus humoris est, totum corpus nutrire, partim quia hic humor solus, per omnia vasa in corpus distributus, est dulcis, & ad nutriendum maximè aptus, partim quia ex puro sanguine in utero materno & formamur & nutrimur.

X. Sunt & aliæ sanguinis qualitates, (quæ sunt differentia secunda) per quas à cæteris humoribus distinguitur, nimirum rubedo (a) & dulcedo (b)

(a) Rubicundus est sanguis, quia calorem ab hepate, quod rubrum est, acquirit. *Magis. Phys. Perip. l. 5. c. 7. p. 372.*

(b) Dulcis verò, quia à moderato calore, ex optima Chyli parte oritur.

XI. Pituita est humor alimentarius [a] frigidus & humidus [b] ex aquosiore & frigidiore chyli parte [c] in hepate genitus, massæque sanguineæ mistus, [d] ut præprimis [e] frigidioribus corporis partibus (f) alimentum suppeditet.

(a) Genus descriptionis, quod omnibus hisce humoribus commune est.

(b.) Differentia exprimitur, eâ nimirum qualitatem *συχνυία*, per quam pituita à cæteris humoribus primò discriminatur. De frigiditate autem notetur. 1. quòd, cum pituita minus coctasit sanguine, portionem chyli frigidioris sequatur. 2. Hoc ipsum *συχνυτικώσ* intellectum volumus, respectu ad sanguinem factò, non ad atram bilem, quæ est frigidior pituita. Quantum ad humiditatem verò, non exactè humida est, aliàs  
eras



crassitiem & lentorem nullum possideret. Unde viscosus potius humor dicendus, quam humidus propriè.

(c) A posteriori hoc patet. Si n. frigidioris constitutionis est pituita, ex frigidioribus nutrimenti partibus eam prognatam esse consequitur.

(d.) Inexistit & coëxistit sanguini, eoque mediante per corpus distribuitur.

(c) *Præprimis*, dicitur. Habet enim & alios usus, (1.) ut sanguinis calorem mitiget, & bilis æstui resistat. (2) Ut sanguinis crassitiem prohibeat, quo melius per vasa devehatur. Quando enim pituitæ adest inopia, sanguis crassus evadit, & vasa facile obstruuntur. (3.) Urgente quoque fame coquitur in sanguinem, partesque refocillat. Hinc pituitosi facilius inedia tolerare possunt.

(f) Ut cerebro, e.g. nervis, cartilaginibus, membranis, articulis, &c.

**XII. Gaudet & aliis qualitatibus, ut quod (1) cruda (a) est, (2) quod alba (b) est, & (3) insipida. (c.)**

(a) Crudior enim sanguinis pars est, quem diluit & mitigat, ne nimis incaleseat & arefiat. Ideò peculiari caret receptaculo, semperque in venas defertur, ut melius conficiatur, & in sanguinis naturam convertatur.

(b) Alba est pituita ratione frigiditatis, quæ alborum inducit. Et hunc calorem retinet, si non ab epate vindicetur. Quò enim longiùs à naturâ sanguinis abest, eò est candidior, quò verò proximius ad sanguinem accedit, eò magis rubescit.

(c) Tandem insipida censetur, ut aqua simplex, quia cæteris humoribus comparata, nimis frigida est & aquosa, minusque incocta putatur. Aliquando tamen dulcis dicitur, vel quod à calore naturali non nihil alteratur, & per coctionem aliquid dulcedinis assumit, vel quod salis aut acidæ confertur. Sic e.g. aquam optimam & purissimam, respectu salis & acidæ,

B. 2

dul-



dulcem perhibemus, quamvis dulcoris expertis sentiantur.

XIII. Bilis est humor alimentarius calidus & siccus, (a) ex igneis chyli partibus secretus, pro membrorum biliosorum alimento (b)

(a) Est & hæc propria hujus humoris differentia per qualitates primas. Et si dicendum, quod res jubet, est portio sanguinis (nimirum totius massæ, quia biliosus hic humor unâ cum reliquis, in venis decurrit) calidior & siccior; calidior quidem, imò succorum omnium calidissim⁹, quod evidenter patet ex ejusdem tum causis, è quibus producit, nimirum ex igneis chyli partibus; tum effectis, qui insignem exsiccandi virtutem monstrant, ut mirum sit, nonnullos contrariam fovisse opinionem; qui, cum in re evidenti sint obscuro, ne digni prolixâ refutatione esse videntur.

(b) Usus humoris hujus, cui tamen alii sunt annexi. Nimirum (1.) bilis, pauca quidem, sanguini admista, illum veluti sale condit, quò avidius à reliquis partibus appetatur, imò (2) sanguinem penetratione juvat, ne nimirum in venis aliqua oboriatur obstructio, (3) à putredine defendit, (4) aliorumque humorum crassorum per venas transitum tenuitate suâ promovet.

XIV. Sunt & aliæ insuper qualitates (a) in bilioso humore notatu dignissimæ, ut quod flavus (b) est, acris (c) tenuiorque aliis.

(a) Sunt & hæc aliquæ bilis differentiæ, prima tamen & primaria est in dictarum primarum qualitatum συζηγία.

(b) Quia tali colore tingit; vel, in frigidioribus naturis est pallida.

(c)



(c) Acris vel amara est bilis propter calorem, qui humidum aqueum terrenæ substantiæ ad maximam tenuitatem redigit.

XV. Melancholia est humor alimentarius, frigidus & siccus (a) ex frigidioribus & crudioribus Chyli partibus (b) in epate efformatus, ad crassiores corporis nostri partes alendas utilis (c).

(a) Per duas has qualitates humor hic primò differt à cæteris humoribus primariis. Primò quidem frigidus est, quia terrestris, & per condensationem ex defectu caloris, genitus. Neque tamen ita est frigidus, ut nihil caloris in se contineat, aliàs ut glacies concreveret. Siccus etiam est respectu eorum humorum, quos terrestitate partium superat. Neque tamen adeo siccus, ut omnis humiditatis sit expers, aliàs non esset humor.

(b) Tales sunt partes terrestres, quarum naturam humor hic, quantum quantum est, refert.

(c) Ullus hujus humoris exprimitur, ad partium Melancholicarum aliarumque crassiorum & terrestrium, quibus insigne robur addit, nutritionem. Præstat insuper hic humor ad sanguinis adstrictionem, ne citò nimius evaporet.

XVI. Sunt & aliæ qualitates hujus humoris, ex primis illis fluentes, utpote quod est succus crassus, (a) ater, [b] & acidus [c].

(a) Crassus quidem ob terram, quæ uti inter omnia Elementa est crassissimum corpus, ita facit ex se suisque partibus, debito quidem & convenienti modo immutatis & dispositis, progigni humorem crassum.

(b) Ater instar terræ, ex crassiore & fœculentiore alimenti parte, similis fœcibus Vini Unde quoque niger quodammodo vel nigricans apparet, ob condensationem & crassitiem, sicut nubes quò tensus, eò crassior, ob Spissitudinem videtur.



(c.) Hoc ex eo, quod siccum terrestre & humidum aqueum minus quidem à calore cocta, sint juncta & permista.

XVII. Secundarii humores è primis oriuntur, priusquam in substantiam partium transmutantur, & numero quatuor ponuntur: (a) Unus *ἀνώριμος* & præter hunc ros, gluten, cambium (b)

(a) Hi tamen humores, in tertiâ concoctione orti, in gradus potius, quam species perfectas esse dividendos constat, cum inter sese tantum discrepent secundum magis & minus, quod rerum non variat speciem, ut notum ex principiis Philosophicis. Unus enim sequitur alterum, perfectus imperfectum, sive ex statu imperfecto transit in perfectiorem.

(b) Cum autem sanguis in majoribus vasis exquisitius elaboratus, in angustiorem quasi derivatione quadam partium inanitarum tractus illabitur, à circumstantium calore & proprietate sensim commutatur, & substantiæ partium fit aliquo modo similis, unde primus humor *innominatus* existit. Postquam verò hic humor extra venarum orificia excidit, roris instar, in substantiam partium diffunditur, atque ita alteratur; Unde & *ros* dici cœpit. Ut autem & iste humor partibus apponatur, lentorem quendam & crassitiem coctione ut sibi acquirat, necessum est, quâ de causâ & *gluten* appellatur. Atque hic demùm humor, quoniam cum substantiâ partis deperdita est commutandus, magis adhuc coquitur, & *cambium* nuncupatur, ex eo, quod in substantiam transit, & cum eâ naturam suam cambit permutatque, ut loquitur *Sennert. l. 1. Inst. Med. c. 9. m. p. 76.* Est autem cambium hic nihil aliud, quàm humidum illud, quod in supplementum radicalis à naturâ adhibetur; non tamen planè idem cum illo, quod voluit *Fuchs. Inst. Med. l. 1. 5. 4.* Accedit enim hic alimentarius rei constitutæ; radicalis autem constituendæ; neque est primigenius, sed primigenio succenturiatus, *Magir. c. l. m. p. 374.*

XVIII.



XVIII. Humores superflui & excrementitii sunt, (a) qui ad corpus alendum planè sunt inepti, suntque eorum quidam utiles [ b ] quidam inutiles.

(a.) Evadunt autem humores superflui dupliciter: vel propter abundantiam; Ita boni quoque & laudabiles excessu peccare possunt; Vel propter alienam substantiam, partibusque adversam.

(b.) *Utiles*, qui naturæ inserviunt, & vel ad individui, vel ad speciei conservationem faciunt; Inutiles ii, qui nullum usum habent.

XIX. Ad individui conservationem spectantes sunt, Phlegma, (a) Bilis flava (b) Bilis atra [ c ] sive Melancholicus limus, & serum, (d) saliva. (e)

(a) Primò ad individui conservationem colligitur *phlegma*, seu *pituita superflua*, ut tempore inediæ famem sedet.

(b) *Bilis flava* est calidissima bilis pars, à felliculo fellis attracta, ut exinde intestinis affundatur, ad excretriciis irritationem & fœcum detersionem.

(c) *Bilis atra* est crassissima bilis pars, quæ in lienem prolectatur, ut sanguis defœcator reddatur.

(d) *Serum*, ut sit *ὄχημα τῆς τροφῆς*, pro vehiculo crasforum humorum.

(e) *Saliva*, quæ, linguam irrigando, eam in loquendo, saporibus dijudicandis, & cibis mandendis efficit expeditiorem.

XX. Humores ad Speciei propagati-  
onem & conservationem facientes sunt, fe-  
men



men [a] sanguis menstruus [b] & lac maternum [c]

(a) Semen est humor ex ultimo alimento in testiculis formatus, & in parastatis asservatus, ad generationem necessario requisitus.

(b) Sanguis menstruus est humor in foeminis ob imbecillitatem naturæ collectus, qui vel stas temporibus ejicitur, vel ad generationem ut materia conformationis adhibetur.

(c) Lac est humor in mammarum glandulis è sanguine puro formatus, ut recens nati sit alimentum.

**XXI.** Inutiles humores illi censentur, qui corpori non solum graves & molesti, sed et perniciosi, nisi maturè secernantur, fieri possunt (a)

(a) Sic per intestina fœces alvi, per vesicam urina, per poros corporis sudores, per oculos lachrymæ, & sordes, per aures cerumina, per nares mucus, per os sputum, propellenda, ne functioni partium officiant.

---

### Corollaria

1. *An quatuor humores alimentarii certò modò respondeant quatuor elementis? Ita videtur.*
2. *An humores sint animati? Neg. hinc à genere ad speciem rectè progredi licet: Si nulli humores sunt animati, neque semen animatum erit.*
3. *An Melancholici ingeniosi? Affir.*

FINIS







